UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Ecclesiastici

Incipiens ab Anno Domini D.XVIII. perducitur vsque ad Annum D.XC. nempe ab Anno primo Iustini Senioris, vsque ad quintum Mauritij Augusti. Complectitur annos LXXIII.

Baronio, Cesare

Coloniæ Agrippinæ, 1624

Iesv Christi Annus 554. Vigilii Pap. Annus 15. Ivstiniani Impp. Annus 28.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14926

Visual Library

** Iannarinum ex hoc, quem candida mente nutriſti*
Tantillumque ſimul ſculptorem marmoris huius
Annixis precibus Domino per ſecula cuncta
More tuo placidus commenda iugiter. hinc iam
* noſtri *Eſſe quoq; & monachum * noſti, quem ſancte benignum*
Nunc, & in æterno Hilarianum ſemper adorna.

Poſt hæc iſta ſequuntur:

Primus itaque præfuit S. Florentinus Abbas monaſterio noſtro per annos V. qui vixit annis P. L. M. L. Obiit prid. Id. April. duodecies P. C. Baſilii V. C. Iunioris Indict. prima, poſt hunc ſecundus fuit dominus Redemptus Abbas. Capitales litteræ verſuum huius Epitaphij hoc habent.

Florentinus Abbas hic in pace quieſcit. Amen.

Porro monaſterij S. Crucis Arelatenſis, cuius hic Abbas fertur S. Florentinus, ne vlla quidem veſtigia, immo nec vlla extant Arelate litterarum monimenta. Eſt ſoli Eccleſia vetuſtiſſima S. Crucis nomine inſignita, hodie Prioratus parochialis annexus mẽſæ Capitulari S. Trophimi. In qua videtur ſuperius monimentum marmoreum cũ dicto Epitaphio, ſed marmor ſiue antiquitate, ſiue humilitate, ſeu negligentia Sacerdotum nunc plurimum ſordet. Corpus vero S. Florentini ibidem eſt in capſa argentea.

IESV CHRISTI
Annus 554.

VIGILII PAP. Annus 15. IVSTINIANI IMP. Annus 28.

I. VIGILIVS AB EXILIO LIBERATVS. ANNVS CHRISTI redemptoris quingenteſimus quinquageſimusquartus, poſt Conſulatum Baſilij decimuſtertius in Faſtis notatur, quo Vigilius Papa precibus Narſetis Ducis ab Imperatore liberatur exilio. Res geſta ab Anaſtaſio ita deſcribitur: *Aduntus clerus Romanus rogauerunt Narſetem, vt vna cum eius ſuggeſtione rogarent Principem, vt ſi adhuc viueret Vigilius Papa, aut Presbyteri, vel clerus, qui cum eodem Vigilio fuerant in exilium deportati: reuerterentur. Suſcepta relatione Narſetis, vel cunctis cleri Romani lætus effectus eſt Imperator, & omnes inuitati eius, eo quod requiem donaſſet Deus Romanis. Mox miſit iuſſiones ſuas per diuerſa loca, vbi fuerant in exilium deportati in Gypſa * & Proconeſſo, & adduxit eos ad ſe Imperator dicens eis: Vultis recipere Vigilium, vt fuit Papa veſter? gratias ago. Minime? hic habetis Archidiaconum veſtrum Pelagium, & manus mea vobiſcum erit. Reſponderunt omnes: Imperet Deus pietati tuæ. Reſtitue nobis modo Vigilium: & quando voluerit eum Deus tranſire ab hoc ſeculo, tunc veſtra præceptione donetur nobis Pelagius Archidiaconus noſter. Tunc dimiſit omnes cum Vigilio.* hæc Anaſtaſius.

II. Audiuiſti Imperatorem iam arrogaſſe ſibi Rom. Põtificis confirmationem, immo & abrogationem, nimirum dum ſe paratum exhibet, ſi clerus Pelagium magis velit, facturum, vt Vigilius ceſſet; ita plane captiuam ducens Romanam Eccleſiam, quam ſub eodem humiliatam tenuit iugo, cum videlicet nullam haberi voluit electionem cleri, niſi electi accederet cõfirmatio ab Imperatore. Vidiſti & clerum abiecte nimis profitentem, poſt obitum Vigilij in ſucceſſoris ſubſtitutione præceptionem ipſius expectaturum. Sic quidem ducta *a* eſt in captiuitatem domina Gentium, & Regina prouinciarum facta eſt ſub tributo. Totidem è Hieremiæ petitis verbis deplorat iſta S. Gregorius *b* Papa, cum & dolet non ſine certæ oblatione pecuniæ eiuſmodi fieri ſolitam ab Imperatore probationem Romani Pontificis, vt apertius ſuo loco inferius apparebit.

a Thr. n. 1.

b Greg. in ſepte Pſ. pœni.

III. Vidiſti ſcelus? Qui enim præ cæteris videri voluit Imperator maxime pius, ſe maxime impium præſtitit, dum duriores coegit Romanam Eccleſiam ſubire conditiones, quam tulerat ſub Ethnicis Imperatoribus, de quib. nulla eſt vſquam mentio, quod confirmationem electi in Romanum Pontificem ſibi aliquando arrogarint. Iſta igitur, quæ neque humana, neque diuina iura tribuunt Imperatori, iſte, qui legiſlator omnium maximus dici ſtuduit, ſibi ſumens, in his impie decernẽdis diuinorum & humanorum decretorum profanator & conculcator euaſit, in gratiam haud dubium æmulantium Græcorum Romanæ Eccleſiæ gloriam. Sed fruſtra humana id præſumpſit aſtutia: Impingentes enim ipſi in lapidem fracti ſunt. Romanæ vero Eccleſiæ decor magis ſemper eluxit, vt quæ dicentur, ampliſſimam fidem facient.

Hæc autem, quæ de liberatione Vigilij & aliorum ab exilio dicta ſunt, licet Anaſtaſius facta tradat rogãte Narſete exercitus in Italia Duce: tamen & tunc accidiſſe putamus, vt Vigilius Papa aſſenſus fuerit Imperatori, receden ſq; à ſua ſententia, quam Conſtituto edito declarauerat, Quintam Synodum comprobarit. Etenim cum de conſenſione Vigilij Græci omnes affirment, & qui his temporibus vixit & ſcripſit Euagrius, id ipſum aſſerat, vt quæ ſunt ſuperius dicta, teſtantur: cumque pariter declaratum ſit, id non eo tẽpore accidere potuiſſe, cum idẽ Pontifex actus eſt non ob aliam cauſam in exilium, niſi quod Quintam Synodum minime probare voluiſſet: neceſſe eſt affirmare, id ab ipſo factum eſſe hoc tempore, cum ab exilio ſolutus eſt, liberq; dimiſſus, vt in ſuam rediret Eccleſiam, iam vendicata per Narſetem à Gothis Italia. IV. DE QVINTA SYNODO A VIGILIO COMPROBATA.

Vt iſthæc firmemus, alia plura ſuadent. In primis vero, quod Liberatus diaconus Carthaginenſis, & ipſe ex iis vnus, qui pugnarunt pro Trium capitulorum defenſione (vt ex Breuiario ab ipſo conſcripto ſatis apparet vel ex eo potiſſimum, dum Theodorum Mopſueſtenum laudat) ipſe, inquam, Liberatus in Vigilium parum æquus, præter alia, quæ aduerſus eum conſcripſit, iſta de eius fine habet *c*: *Hæc* (inquit) *Vigilius ſcribens hæreticis occulte, permanſit ſedens. In quo impletum eſt illud teſtimonium, quod Salomon in Prouerbiis dicit* d: *Edent viæ ſuæ fructus, & conſiliis ſuis ſatur abuntur. Ab ipſa hæreſi afflictus Vigilius, nec coronatus, qualem vitæ terminum ſuſcepit, notum eſt omnibus.* hæc Liberatus: qui quidem ſi perſtantẽ in ſententia vſq; ad mortem pro Trium capitulorum defenſione, quorum cauſa Conſtitutum ediderat, Vigilium comperiſſet, ipſum in ea defunctum velut martyrem collaudaſſet: ſed cum ait, ipſum fuiſſe afflictum nec coronatum, plane alludit ad eius exilium, & poſt exilium à priori propoſito defectionem. V.

c Liber. Breu. c. 22 in fin.

d Prou. 1.

Suadet etiam iſtud ipſum ea ratio, quod cum Iuſtinianus Imperator nihil antiquius habuerit Trium capitulorum damnatione, quorum cauſa plura (vt vidimus) ſanciuit edicta, & Synodum Oecumenicam collegit, ſuæque ſententiæ aduerſantes ſeuere puniuit: quomodo paſſurus fuiſſet, niſi conſenſiſſet, vt Vigilius, qui ampliſſimis ſcriptis contrariam ſententiam profeſſus fuit, & ad eam ſectandam vniuerſam Eccleſiam Catholicam impulit, idem poſtquam ſolueretur exilio, ſineretur proficiſci in Occidentem, haud dubium vniuerſos Epiſcopos orbis Occidui aduerſus edicta Imperatoris atque Synodi decreta concitaturus? Ruſum vero cum Iuſtinianus Imperator non ſolum ab exilio ipſum Vigilium liberauerit, ſed alia nonnulla eidem petenti conceſſerit, & ipſo exigente ſanctionem de rebus Italicis promulgarit, abſque dubio ex huiuſmodi officiis declaratum eſt, eundem Vigilium ipſi valde charum extitiſſe, vt ea petenti indulſerit: at nonniſi conſenſione in Trium capitulorum damnatione effici potuit, vt inter eos amicitia ſanciretur, quorum ſolum cauſa odium conflatum erat, & in eum exilium irrogatum. VI.

VIGILIVS IVSTINIANO AMICVS REDDITVS.

Sic igitur ex omnibus, ſuffragante potiſſimum Græcorum auctoritate, ſatis apparet, Vigilium Papam, vt natum occaſione Trium capitulorum ſchiſma penitus tolleret, omnemque Orientalem Eccleſiam Catholicæ communioni coniungeret, abrogato, quod pro Tribus

VII. VLTIMA VIGILII SENTENTIAM [illegible] CVTA.

capitu-

capitulis ediderat conſtituto Quintæ Synodo aduerſanti, eidem Synodum auctoritate Apoſtolica comprobaſſe, œcumenicamq; dixiſſe: cuius poſtremam ſententiam cum poſteri omnes Romani Pontifices ſint ſecuti, vniuerſa Dei Eccleſia, paucis exceptis ſchiſmaticis, eamdem Synodum, vt œcumenicam ſemper nouit & prædicauit. Eius vero exemplaria tunc in Romanæ Eccleſiæ archiuis fuerunt inter alia ſcripta authentica collocata: quæ vtinã conſeruata fuiſſent: non enim opus eſſet eam corruptam & mutilatam (vt vidimus) è codicibus Græcis accipere.

VIII. QUINTÆ SYNODI ROMANA EXEMPLA. Porro eadem exemplaria genuina miſiſſe noſcitur S. Gregorius ad Theodolindam Longobardorum Reginam, & eius filium Adulouualdum renuentem aliquando ea de cauſa Eccleſiæ Catholicæ communicare, quod accepiſſet, ex eadem Synodo derogari ſcriptis S. Leonis Papæ ab vniuerſa Eccleſia, vt ſacroſanctis toto orbe receptis. Sed accipe ipſius verba Gregorii ad ipſam Theodolindam Reginam reddita *a* extremo tempore ſui Pontificatus: *Eam tamen* (inquit) *Synodum, quæ piæ memoriæ Iuſtiniani tempore facta eſt, per latores præſentium tranſmiſi: vt prædictus filius meus dilectiſſimus ipſam relegens, cognoſcat, quia falſa ſunt omnia, quæ contra ſedem Apoſtolicam vel Catholicam Eccleſiam audierat. Abſit enim nos cuiuslibet ſenſum hæretici recipere, vel à Tomo ſanctæ memoriæ Leonis prædeceſſoris noſtri in aliquo deuiare: ſed quæcumq; à ſanctis quatuor Synodis ſunt definita, recipimus: & quæcumque reprobata ſunt, condemnamus.* hæc Gregorius, qui tum ipſam Reginam, tum eius filium regem Longobardorum detrectantes interea ob falſos à ſchiſmaticis ſparſos rumores Apoſtolicæ ſedi communicare, rei veritate dilucide demonſtrata, communione Catholica & Apoſtolica impertiuit.

IX. Sed ad ipſum Vigilium ſolutum iam exilio, dimiſſumque liberum, vt ad ſuam redire Eccleſiam poſſet, reuertamur. Cum rediturus Romam, Conſtantinopolim ad Iuſtinianum Imperatorem veniſſet; ab ipſo petiit ſanctionem promulgari vniuerſæ Italiæ profuturam. Extat illa quidem, quam hic tibi reddendam putauimus, vt quæ ſunt dicta, notiora fiant. ipſa vero ad Narſetem Ducem, & ad Antiochum Italiæ Præfectum data reperitur hoc anno diſtincta capitibus vigintiſeptem: ſed nobis ſatis ſit ex multis pauca referre *b*:

X. EDICTUM IUSTINIANI PRO ITALIA. *Pro petitione Vigilii venerabilis antiquioris Romæ Epiſcopi quædam diſponenda cenſuimus ad vtilitatem omnium pertinentia, qui per Occidentales partes habitare noſcuntur. In primis itaq; iubemus, vt omnia, quæ Athalaricus vel Amalaſuntha regia mater eius, vel etiam Theodatus, Romanis, vel Senatu poſcente, conceſſerunt inuiolabiliter cuſtodiantur: ſed & ea, quæ à nobis, vel à piæ memoriæ Theodora Auguſta quondam coniuge noſtra, collata ſunt volumus illibata ſeruari: nulla cuicumque danda licentia contra ea venire, quæ à prædictis perſonis pro quibuſcumq; rebus vel titulis data vel conceſſa eſſe noſcuntur, excepta videlicet donatione à Theodato in Maximum pro rebus habita Marciani: ex quibus dimidiam portionem Liberio viro glorioſiſſimo dediſſe meminimus, reliquam dimidiam Maximo viro magnifico relictam, quas apud vtrumq; firmiter manere cenſemus.*

XI. *Si quid à Totilano tyranno factum vel donatum eſſe inuenitur, cuicumque Romano, ſeu cuique alio, ſeruare, vel in ſua firmitate manere, nullo modo concedimus: ſed res ablatas ab huiuſmodi detentatoribus antiquis dominis reformari præcipimus. Quod enim per illum tyrannidis eius tempore factum eſſe inuenitur, hoc legitima noſtra non iure tempora non concedimus.* & inferius de iiſdem rebus à Totila alienatis: *Quia autem veriſimile putamus, diuerſis tyrannidis tempore res ſuas per metum alienaſſe hominibus vel officium quodcumque gerentibus, vel etiam à Totila commiſſam actionem, vel potentiam, vel gratiam apud eum habentibus, ſiue venditione, ſiue alia quibuſcumque contractibus titulis: modo vero quod factum eſt prius, reſcindi deſiderare, tempore per violentiam, vel per metum tyrannici temporis factum: ſancimus omnibus eſſe licentiam ſui recipiendi, ſiue vendicandi, vel poſſeſſionis à iudice adipiſcendæ, pretio tantummodo videlicet reſtituto: quæ tamen (eo, qui ſe dediſſe perhibet, adprobante) veraciter conſtiterit exſoluta, nec aliquo poſtea modo vel fraude ſubtracta, vel ab eo recepta, cum non abſque ratione eſſe putemus multa tunc temporis per metum & violentiam facta eſſe, quæ noſtris temporibus reſcindi poſcit iuſtitia, pœna videlicet inſtrumentis inſerta propter prædictas factiones modis omnibus quieſcente.* hæc & alia plura ad res ſiue immobiles, ſiue mobiles ſpectantia, inſtante Vigilio Papa, Iuſtinianus ſanxit, multaq; alia ad perſonas reſpicientia, quas vel barbaricus furor redegiſſet in ſeruitutem, vel militaris licentia profanaſſet. nam poſt alia plura hæc de dicatis Deo virginibus:

Cum autem tyrannicæ ferocitatis præſumptionem res etiam illicitas quaſi permiſſas egiſſe, ſine dubio ſit: ſancimus, vt ſi qui mulieres Deo ſacratas, vel habitum religioſum habentes ſibi coniunxiſſe inueniantur, nulla eis tenendi, vel dotes forte conſcriptas, iterum monaſteriis vel Eccleſiis, aut ſancto propoſito, cui dedicatæ ſunt, reſtituantur. hæc & alia Iuſtinianus hoc anno vigeſimooctauo ſui Imperii, & poſt Conſulatum Baſilii tertiodecimo: quæ quidem ab Imperatore procuraſſe Vigilium apparet, vt quæ tempore bellico fuiſſent iura iuſſa ſileri, eadẽ reuiuiſcerent, ſuumque vnicuique tribuerent. Quomodo autem recedens Conſtantinopoli Vigilius Papa, cum in Siciliam perueniſſet, illic extremum clauſit diem, ſequenti anno, quo id contigit, dicturi ſumus: modo quæ anni huius ſunt reliqua, proſequamur. XII.

Hoc eodẽ vigeſimooctauo Imperatoris anno à Coſrhoe Perſarum Rege aduerſus Iuſtinianum Auguſtum bellum mouetur, non quidem ex more in Syria, ſed in Colchorũ prouincia; quo Romanus exercitus turpiter victus atque fugatus eſt. Hæc vero quomodo ſe habuerint, Agathias pluribus refert. Quibus accurate narratis diuertit idem auctor ad peregrinationem, ſeu tranſmigrationem quorumdam Gentilium Philoſophorum è Romano ſolo in Perſidem, ea (vt refert) occaſione, quod pertæſi illi Chriſtianam religionem, & eam colentium mores, ad Perſas, quos acceperant eſſe modeſtiores, proficiſci, ibiq; reliquum vitæ tempus apud eos degere decreuerunt: verũ falſa decepti fama, vbi Perſarum fœdiſſimos inuenerunt mores, mox redire ad priſtinos lares, & cũ Chriſtianis reliquũ vitæ tempus degere cenſuerunt. Quæ autem notatu digna iiſdem tunc acciderint remeantibus ab eodem accipiamus auctore, qui rem ſic exorditur *c*: XIII.

c Agath. l. 2.

XIV. DE PHILOSOPHIS AD PERSAS PEREGRINANTIBUS.

Paulo ante Damaſcius Syrus, Simpliciuſque è Cilicia, Eulamius Phryx, Priſcianus Lydus, Hermias præterea & Diogenes ex Phœnicia, Iſidoruſque Gazæus in Perſidem ad Regem hunc viſendum ſe contulerunt: qui omnes facile hac noſtra ætate omnium erant philoſophorum principes. Hi quidem, cum minus placerent quæ de Deo Romani rectius ſentiunt, & multorum relatu perſuaſi iam eſſent, Perſarum inſtituta & mores cæteris longe præſtare, in Perſiam ad Regem, vt in ea victuri, viam conceſſerunt, & eo libentius, quod Regem in primis iuſtiſſimum, continentiſſimumque eſſe acceperant, qualem & vult Plato, vt philoſophia ſit cum Imperio iuncta: ſubditos vero pollere virtutibus, quandoquidem nec fures apud hos eſſent, neque prædones, nec denique qui iniuſtiora cætera facerent: atque adeo vt pretioſiſſima quæque vel in ſolitudine quauis relicta, qui forte inuenerit, haudquaquam ſit ſublaturus, ſed relinquenti vtcumque domino integra omnia vſque ad reditum maneant. Vbi tamen eo eſt tandem peruentum, cum omnia aliter longe ac ipſi acceperant, ſeſe habere iam comperiſſent, & omnem ſcelerum apud hos ſpeciem exerceri, ipſique hæc moleſtiſſime ferrent: inconſtantia & leuitatis ſe ſtatim inſimularunt, & mutati loci cœpit hos pœnitere. Vnde etſi Coſrhoes eos & beneuolentia proſequeretur, & vt apud ſe manerent, precibus fatigaſſet: confeſtim tamen ad priſtina loca, è quibus exceſſerant, ſe receperunt, exiſtimantes, longe ſibi potius fore initu mox Romanorum confinibus mortem, ſi forte contingat, obire, quam apud Perſas morando, maiora ſibi præmia comparare. Sic demum omnes ad priſtinas ſedes reducti, barbarica deteſtabantur hoſpitia. Ita quidem experimento didicere philoſophi, ſolutos licet diſciplina Chriſtianos præſtare moribus quibuslibet veri Dei cultum ignorantib. populis. Quid vero his ſubiiciat auctor admiratione dignum, accipe:

XV. *Sed cum interea iter hi facerent, mirandum quiddam his fe-*

DE CADAVERE HVMATO ATQVE REFOSSO.

runt & dignum memoria contigiſſe. Nam cum in agrum quendam Perſicum Philoſophi diuertiſſent, hominis eiectitium cadauer viderunt recens mortui inhumatum. Tum hi legis barbaricæ prauitatem commiſerati (lege enim Perſarum, defunctorum hominum corpora non humari, ſed feris beſtiis, & volucribus exponi iubebantur) *quandoquidem nec par fore exiſtimabant, vt vel in partem aliam natura iniuriam pateretur, cadauer illud per ſeruos elatum terra (vt licuit) obruerunt. Noctu vero, his quieſcentibus, vnus quidam eo ex comitatu (non enim ſat calleo) obuerſari ſibi ſpeciem vidit hominis ſenioris, ſibique incogniti, alias tamen grauis & venerandi, & qui philoſophiæ ſtudenti vt pallio, ita & barba promiſſiore nihil eſſet abſimilis, ſibiq; perinde rubendo, monendoq; huiuſmodi inclamaſſe. Noli inhumatum humare: permitte canib. lacerandum. Terra vniuerſorum mater matris corruptorem hominem non ſuſcipit* (hæc idcirco, quod Perſis in more eſſet, filios cum matrib. commiſceri.) *Tum ille quam primum præ formidine experrectus, aliis ſomnium ſtatim renunciauit. At illi tum primum dubii animi erant, quonam eſſet id ſomnium euaſurum. Antelucano autem tempore ſurgentes progrediuntur, quo erat iter acceptum, agrum eumdem carpendo, cogente ad id loci ſitu, in quo pridie mortui cadauer ſuffoderant. Nudum illum iterato inueniunt, in agri ſuperficie iacentem, tanquam ſponte ſua in apertum remittente terra, nec tolerante non à beſtiis abſumptum ſeruare. Illi igitur rei miraculo obſtupefacti, iter proſequebantur, omiſſo humanitatis officio, quod ſibi ex lege iniungebatur. Somnium interea cum ſermonibus agitarent, ex eo facile fatebantur, pœnas luere Perſas pro impudico & materno concubitu, eoq; & inſepultos manere, & non iniuria per canes dilacerari.* hæc Agathias, ſuorum temporum recenſens hiſtoriam, haud leuiter accepta refert.

XVI. SEIPSOS IMPII POENIS AFFICIVNT.

Ex hoc quidem exemplo quis non intelligat, in ſuæ ipſorum vltionem impietatis ſinè à Deo Nouatores hæreticos ſpernere ab Apoſtolis traditos & in Eccleſia Catholica ſæpe vſu receptos atq; poſteris commendatos Chriſtianis ritus ſepulchrales, pompamque piam, qua ſacris canticis ducuntur funera, ſacriſque locis, quæ ſunt Chriſti membra, humantur corpora defunctorum: eoſdemque vere impios ſua ſponte ab Eccleſiaſtica communione diſciſſos hiſce priuari, atque tamquam infames in loco profano, profanæq; ſepulturæ mandari? vt plane iuſto Dei iudicio in eis Hieremiæ *a* vaticinium compleatur, quo ait: *Sepultura aſini ſepelietur putrefactus & proiectus extra portas Hieruſalem.* Sed quæ de funere & ſepultura dicimus, de pluribus aliis Dei beneficiis Catholicæ Eccleſiæ collatis æque dicenda ſunt, quibus in ſuorum ſcelerum pœnam ſua ipſorum ſententia impii, ſed iuſto Dei iudicio omnino priuantur.

a Hier. 22.

IESV CHRISTI
Annus 555.

VIGILII PAP. Annus 16. IVSTINIANI IMPP. Annus 29.

I. VIGILII PAPÆ OBITVS

HIc annus Domini quingenteſimus quinquageſimus quintus, poſt Conſulatum Baſilij numeratur decimusquartus, quo Vigilius Romanus Pontifex venturus in Italiam, in Sicilia diem obiit, cum ſediſſet annos ſexdecim, licet Anaſtaſius habeat ſediſſe annos decem & ſeptem menſes ſex. & dies viginti ſex; ſed nulla ſubſiſtunt talia ratione, quamplurimis his aduerſantibus. De ipſo item hæc Anaſtaſius ſubdit, cum agit de eius obitu: *Venerunt itaque in Siciliam, in ciuitatem Syracuſas, vbi Vigilius afflictus, calculi dolorem habens, mortuus eſt. Corpus eius delatum Romam, ſepultum eſt ad ſanctum Marcellum via Salaria.* ſed quoto anni menſe dieue ſit mortuus, nulla apud antiquos mentio: nec nobis de his diuinandum, cum nec ex ſucceſſoris annis tempus Vigilij ſedis poſſit menſium atque dierum numero definiri. Cæterum hic non prætermittendum, Pelagium diaconum ductum eſſe in ſuſpicionem illatæ mortis Vigilio: id enim idem Anaſtaſius tradit, cum agit de eiuſdem Pelagii ordinatione: addit autem, ipſum Pelagium publice ſe purgaſſe de tanta illata calumnia. ſed de his inferius.

Hic tandem finis Vigilij Papæ, vt iuſto Dei iudicio in inſula defunctus ſit, confectus ipſe ærumnis ex morbo, qui coegerat ſanctum prædeceſſorem ſuum Silucrium deportatum in inſulam illic animam exhalare. Qui enim malis artibus ad Pontificatum ſibi parauit aſcenſum, ipſum adeptus, immenſis ſemper agitatus eſt fluctibus, inuiſus in primis Imperatori, cuius gratiam tot ſtudiis demerere conatus fuit, Orientalibus haud gratus Epiſcopis, aduerſus quos diu multumque certauit: ſed & Occidentalibus defenſoribus Trium capitulorum redditus execrabilis, quod in ſententia nō ſtetiſſet, ſed impugnatoribus eorumdem, ſuo conſtituto abolito, inhæſiſſet, Quintam probando Synodum, quam antea impugnaſſet: ac tādem cum è procellis in portum ſibi viſus eſt appuliſſe, pedemque alterum in Vrbem, à qua diu abfuiſſet, propemodum intuliſſe, in via mori cogitur immenſis confectus ex calculi morbo doloribus. II.

III. ROMANÆ ECCL. NON LÆDITVR ADVERSIS.

Fuit iſta Vigilii, dum eſſet Pontifex, vitæ periodus: ex qua quidem multa quis hauriet diuinæ prouidentiæ inuigilantis ſuper Eccleſiam Romanam exempla: quibus illud potiſſimum euidentiùs innoteſcat, ipſam Diuinitatem eius gubernaculum tunc præcipue moderari, cum qui naui præſidet, clauumque tenet, obdormire videtur, vel alio nō opportune dirigere, quo vel timor impellit, aut priuatus commouet affectus: qui enim in ea reſidet CHRISTVS, huc atque illuc vniuerſam nauim pro arbitrio vertit: & fluctus licet contrarii vrgeant & flantes venti in aduerſam partem impellant: numquam tamen ipſa nauis impingat in ſcopulos, neque offendat in ſyrtes vel crebrioribus vndarum ictibus diſſoluatur, ſed illæſa permaneat, neſciens vel vetuſtate lenteſcere, vt per lata foramina ſorbens aquam, abſorbeatur à fluctibus.

Intelliget ex iis pariter accuratus inſpector, quanta Romanæ Eccleſiæ inſit auctoritas, vigeatque poteſtas, cum viderit ex aduerſo fruſtra ſecularem niti potentiam incaſſumq; armari perfidiam, vaneque contra niti Orientales Epiſcopos, otioſe reſilire Occidentales Antiſtites, inutiliter vbique cogi Concilia atque ſanciri decreta, vbi non acceſſerit ipſius ſedis Apoſtolicæ confirmatio, & qui in ea ſedet Romani Pontificis comprobatio: cum illud tantum neceſſe ſit in Eccleſia Catholica haberi ratum & firmum, quod noſcitur conſenſione aſſerta vel præſumpta eiuſdem Romani Antiſtitis comprobatum. IV.

V. APOSTOLICÆ SEDIS SVMMA AVCTORITAS.

Vidiſti enim, fruſtra miſſum Imperiali edicto Iuſtinianum, quouſque illi Vigilius reſtitit, nulliuſque roboris habitum totius Orientis collectum Concilium, donec illud ipſum ſuo aſſenſu voluerit Romanus Pontifex effici Oecumenicum: cum plane non alia ratione ipſi etiam Græci illud comprobent Oecumenicum eſſe, niſi quod illi conſenſus acceſſerit Romani Pontificis. Sic vides, quo magis in Vigilio contempta eſt Apoſtolicæ ſedis auctoritas, eo amplius eamdem apparuiſſe illuſtratam: & cum nulla fuerint tempora, quibus ſub Catholico Imperatore adeo ignominioſa diraque pati coactus ſit Romanus Pontifex, numquam tamen magis, quanta in Petri ſucceſſore vis atque poteſtas eſſet, cognitum fuit, in illo præſertim Antiſtite, quē ante electionem præterita crimina adeo infamaſſent & violenta prçcedentis intruſio, illicitæq; atque probroſæ promiſſiones factæ hæreticæ fœminæ contemptibilem reddidiſſent, atque demum Siluerii Papę obitus ferme omnibus deteſtabilem effeciſſet. Ita plane permiſit DEVS Apoſtolicam ſedem adeo fluctuare, atque in diſcrimen adduci, vt ab omnibus intelligatur non humanis, ſed diuinis illam fulciri præſidiis. Sed quæ reliqua ſunt Vigilii Papæ, antequam de eius agamus ſucceſſore, proſequamur.

VI. In huiuſcemodi habitis cum Iuſtiniano conflictibus cum fatigatus eſſet ærumnis Vigilius, idem Imperator ab eo inter alia illud extorſit, quod ab Agapeto Papa

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN